S.mi D. N.

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE OCTAVI BVLLA

Suſpenſionis Indulgentiarum Durante Anno Sancto.







CLEMENS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

CVM Sancti Iubilei celebrationem à Vigilia Natiuitatis D. N. IESV CHRISTI anni proximi Mille-
ſimi Sexcenteſimi inchoandam, & vſque ad finem eiuſdem anni duraturam, vniuerſo populo Chriſtiano,
de Venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium aſſenſu, indixerimus, ac omnibus vtriuſque ſexus
Chriſtifidelibus verè pęnitentibus, & confeſſis, qui Beatiſſimorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Baſilicas,
& S.Ioannis Lateraneñ, ac Beatæ Mariæ Maioris de Vrbe Eccleſias viſitarent, pleniſſimam omnium pecca-
torum ſuorum indulgentiam, remiſſionem, & veniam conceſſerimus, prout in noſtris nuper deſuper con-
fectis literis pleniùs continetur. Cupientes, vt Chriſtianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in
Alma Vrbe noſtra, in fidei, ac religionis vnitate congregatæ, eodem pietatis, ac deuotionis ſpiritu, Ba-
ſilicas, & Eccleſias prædictas, quo maximo fieri poterit concurſu, durante eodem Iubileo viſitent, & fre-
quentent, multorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum exemplo adducti, omnes & ſingu-
las indulgentias etiam perpetuas, & peccatorum remiſſiones, ac facultates, & indulta abſoluendi, etiam
in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, etiam in literis die Cœnæ Domini legi ſolitis contentis, quibuſuis Ec-
cleſijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, etiam S.Ioannis Hieroſolymitan. Domibus, Militijs, Ordinibus etiam Mendicantium, Congregatio-
nibus, Confraternitatibus, etiam laicorum, vniuerſitatibus, & pijs locis, illorumque Ordinibus, Capitulis, Conuentibus, Magiſtris,
Superioribus, & tàm ſecularibus, quàm quorumuis etiam Mendicantium Ordinum Regularibus perſonis, coroniſque, granis, imagini-
bus, & numiſmatibus ex metallo, ſeù quacunque alia materia confectis, tàm ſingulariter, quàm vniuerſaliter per quoſcunque Romanos
Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac etiam Nos, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & aliorum Principum, aut ipſis etiam
Imperatori, Regibus, Ducibus, & Principibus, vel alijs quacunque alia mundana, vel Eccleſiaſtica dignitate, etiam ſpeciali nota digna
fulgentibus, etiam ad inſtar Iubilei, aut aliàs quomodocunque, & ex quibuſuis cauſis, & occaſionibus ſub quibuſcunque tenoribus, &
formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac aliàs quomodolibet conceſſis, quorum om-
nium tenores, formas, derogationes, & decreta, præſentibus pro expreſſis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate, de eorundem fratrum
conſilio, & aſſenſu, ac Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpendimus, & ſuſpenſas eſſe declaramus, easque & ea eodem anno durante
nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere, irritum quoque, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel
ignoranter contigerit attentari. Quocirca per præſentes auctoritate Apoſtolica præcipimus, & mandamus, ne interim aliæ, quàm in dicti
à nobis prædicti Iubilei Indulgentiæ, ſiuè publicè, ſiuè priuatim, quouis prætextu, vbiuis locorum, & gentium, ſub excommunicationis
eo ipſo incurrendæ, alijsque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis publicentur, vel nuncientur, aut in vſum demandentur. Non ob-
ſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Ordinum,
Congregationum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Vniuerſitatum, Collegiorum, & locorum, aliorumque prædictorum etiam iuramen-
to, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque exemptionibus, & in-
dultis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus, & perſonis, ac alijs quibuſcunque per eoſdem Romanos Pontifices Prædeceſſores no-
ſtros, ac Nos, & dictam Sedem, eiusque Legatos, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, & ex
quibuſuis cauſis conceſſis, confirmatis, & innouatis, quibus omnibus, etiam ſi in illis caueatur expreſsè quòd ſub ſimilibus, vel diſſimi-
libus, ſuſpenſionibus, nequaquàm comprehendantur, niſi de illis ſpecialis, & indiuidua mentio fiat, illis aliàs in ſuo robore permanſu-
ris, ad effectum præmiſſum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, Cæterisque contrarijs quibuſcunque. Et quia
difficilè nimis eſſet, præſentes, quocunque vbi illis opus fuerit, perferri, vo[illegible], earum exemplis etiam impreſſis, Notarij publici ma-
nu, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem p[illegible]ſus fidem in iudicio, & extra vbique locorum adhiberi,
quæ adhiberetur præſentibus, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſuſpenſionis, de-
clarationis, decreti, præcepti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc
attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat.
Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimonono, Duodecimo Calendas Iu-
nij. Pontificatus Noſtri Anno Octauo.

B. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

A. de Alexijs.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.

Anno à Natiuitate D. N. Ieſu Chriſti, Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimonono, Indictione xij. Die vero Sabati xxix. Menſis Maij, Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Clementis Papæ VIII. Anno eius Octauo, ſupradictæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Valuis Baſilicarum SS. Petri, & Pauli Principum Apoſtolorum, S. Ioannis Lateraneñ, & S. Mariæ Maioris de Vrbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, & aciei Campi Floræ, dimiſsis copijs in eiſdem locis affixis, vt moris eſt, per nos Io. Baptiſtam Bagni, & Catherinum Menandi Apoſtolicos Curſ.

Dominicus Gugnettus Mag. Curſ.

ROMAE, Apud Impreſſores Camerales. M. DXCIX.